



The Holy See

PIUS PP. XII

*EPISTULA AD EMOS PP. DD. MICHAËLEM TIT. S. ANASTASIAE S.R.E.
PRESB. CARD. FAULHABER, ARCHIEPISCOPUM MONACENSEM ET
FRISINGENSEM, IOSEPHUM TIT. S. IOANNIS ANTE PORTAM LATINAM
S.R.E. PRESB. CARD. FRINGS, ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM,
CONRADUM TIT. S. AGATHAE S.R.E. PRESB. CARD. VON PREYSING,
EPISCOPUM BEROLINENSEM CETEROSQUE GERMANIAE EXCMOS
ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS LOCORUMQUE ORDINARIOS.**

Testes obsequii et studii, quo hanc catholici nominis arcem in exemplum reveremini, haud inexpectatae, at optatae ad Nos advenerunt litterae, quas vos, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, cum ad beatissimi Bonifatii sepulchrum annum celebraturi coetum convenissetis, Nobis misistis. Apertiores inde Nobis patuerunt virtutes, quibus vos decoros debita cum gratulatione et laude conspicimus, auctoritatis pondus, consiliorum maturitas, morum gravitas, sedula pastoralis vigilantiae industria. Hisce enim quodammodo moti et ducti gregum curae vestrae commissorum utilitati consulitis, semper spe alacres, difficultatibus non territi, « solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 3). Labor vester umquam nec deest nec deficit, quia amor vester numquam defervet et gaudium reputatis quod agitis et sustinetis, ut Evangelii causa revehat triumphum et Christi Regis omnium bonorum parens comesque constabiliatur imperium.

Gratias ibidem Nobis exolvistis, quod vestratibus necessitatum et indigentiae onere oppressis occurrimus itemque sacra iura praesertim ad scholas quod attinet tutari contendimus. Tam grata memoria vestra dulcius Nobis reddit solatium quod pectori Nostro inhaerere sentimus, recogitantes quod fecimus et acuit vota, ut alia pro dilectis Germanis faciamus, si Deus qui dat velle suppedabit et posse.

Caritate vero suadente, qua iubemur flere cum flentibus, ea quae tristia in aliquibus regionibus affligunt Ecclesiam, ita ut, adversus catholicum nomen bello conflagrante, a sacris pastore ribus non arceantur temerariae manus et bonorum iacturam ac vincula perpetiantur fideles, graviter

conquesti estis. Preces profecto, quas pro iustis iniuste afflictis fudistis et fundere pergitis, bonorum operum pompa comitante, deproperabunt victoriam, quam firmissima tot heroum virtus et professae fidei cumulata promerita reddunt indubiam. Faxit Deus ut ad communia vota cito adveniat tempus, quo, sedata procella et iustitia conversa in iudicium, tranquilla ubicumque gentium Ecclesia commissum sibi pietatis opus persolvat et omnium saluti prospiciat.

Gaudemus profecto quod, vestra quoque annitente cura, dilecta Nobis Germania, e luctuoso gurgite, quo infaustum bellum eam mersit, paulatim evadit ac solida spes adest fore, ut res brevi meliore sint quoque loco. Quod ut eveniat, omnes sunt excitandae et dirigendae vires, quae, morum legi et religioni insunt, ut ad publicum veri nominis bonum comparandum quam plurimum conferant.

Annuimus, adprobamus, laudamus quod vos ad socialem iustitiam provehendam cogitationes vestras convertitis. Deplendae egenorum catervae omni ope et contentione est obviam eundum. Res bona evangelicae notae paupertas, quae amica virtutis, paulo contenta est, malum autem ipsa et malorum parens miseria : illa diligenda, haec deturbanda et abolenda. Deus, quo donante homo vivit, salutiferae legis nutu et praesidio providet, ut bene vivat. Quod ut fiat, socialis iustitia, sapientiae et benevolentiae et probitatis pulcherrimum foedus, advigilare et efficere debet, bene ordinando opum partitionem et usum, ita ut eae neque hic enormiter coacerventur neque hic omnino deficient : divitiae enim humanae consortionis velut sanguis sunt aque adeo cuncta socialis corporis membra salutariter irrigent.

Summopere igitur Nobis praesertim placet quod eo doctrinae lumina, monita, opera confertis ut familiis tecto destitutis domus quam primum exstruantur et apparentur. Quid magis necessarium, ut decorae humanae conditionis more vivatur, quam domus? haec est enim ab intemperie caeli tutatrix, virium restauratrix, honestitatis custos, pacis et dulcis gaudii servatrix, natorum nidulus, maiorum exempli et memoriae sacrarium ac, si Evangelii gratia floret, privata ecclesia et Dei regni angulus ridens. Qua si careant, cives, quasi desperatione affecti, summopere irritantur et, rerum novarum studio abrepti, facile in pessima ruunt.

Fuerunt apud vos etiam exactis temporibus viri, qui in socialibus rebus componendis doctrina et actione claruerunt eorum exemplum excitet quam plurimos, quibus rei publicae tranquillitas et felicitas cordi est, ut ad Evangelii legem et ad huius Apostolicae Sedis documenta quaestio tam arduae molis et summi momenti expediatur. Hic non unus labor eorum qui praesertim in Catholicam Actionem cooptati sunt, quibus in auxiliaribus copiis magis magisque inniti debetis, in id praecipuam operam impendentes, ut tum virtute tum numero crescant et invalescant. Sunt ii etenim veluti congruum aevo nostro evangelicum fermentum, quod a vobis et a sacerdotibus vestris diligentissime curatum, in integram massam transeat, ut ea, dum haud levi corruptela tabescit, curetur, recreetur, sanetur. In pulchro igitur Christi certamine nemo langueat, at quidquid est ipsi ingenii, constantiae, alacritatis, unusquisque tantae causae agenda attribuat et consecret; atque ad se referat nobile S. Bernardi hortamentum: « Haec plane gloria mea et exaltans caput

meum, Ecclesiae triumphus » (Ep. CXLVII; ML 182, 304-305). Id vos hortati supplices a Deo petimus, ut faveat conatibus vestris et quae gesta difficilia facit hominum et temporum iniquitas iis praepotenti nutu Suo propitium det cursum. Huius interea superni auxilii auspicem Apostolicam Benedictionem vobis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, itemque clero et fidelibus vigilantiae vestrae conceditis, peramanter in Domino impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die XVIII Octobris anno MDCCCXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

**Discorsi e Radiomessaggi di Sua Santità Pio XII, XI,*

Undecimo anno di Pontificato, 2 marzo 1949 - 1° marzo 1950, pp. 422-424

Tipografia Poliglotta Vaticana
